



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1572 usque ad annum 1581

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1772**

**VD18 90118642**

§. 79. Sacrum-Cæsaris obsessum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67232](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67232)

**Sæcul. XVI.** impenderit operam, eo fine, ut ipsum  
**A.C. 1573.** Romam accersitum purpura deco-  
 raret.

§. LXXIX.

*Sacrum - Cæsaris obsessum.*

**Thuan. hist.** In Galliis Sacricæsarenfes, qui in re-  
**lib. 55.** bellionis suæ malitia Rupellensibus  
**pag 917.** haud inferiores esse cupiebant, cum  
**Spond. hoc** sibi sua pertinacia Regis indignationem  
**ann. n. 5.** accersere intelligerent, urbis suæ ob-  
**La Popelin.** fidionem tolerare decreverant, ut sal-  
**l. 33.** tem hac ratione debitæ vindictæ pœ-  
 nas eluderent: igitur ineunte hoc an-  
 no Christi millesimo quingentesimo se-  
 ptuagesimo tertio Claudius Castreus  
 Bituricensis Provinciæ Præses huic urbi  
 regias copias admovet, atque incol-  
 las ad ultroneam deditiõnem provocat:  
 verum Joannellus, qui urbi præerat,  
 tibicinem eo missum detinere, atque  
 indignum in modum habere præsume-  
 bat, eapropter die decima nona Fe-  
 bruarii obsidio cæpta toto impetu ur-  
 gebatur, exiguo licet progressu, quip-  
 pe obsessi tanta pertinacia urbem tue-  
 bantur, ut potius ad extremam famis  
 violentiam, quam deditiõnis ignomi-  
 niam redigi mallerent; quamvis enim  
 intra quinque, vel sex hebdomadas  
 plusquam quingenti cives inedia pe-  
 riissent, nihilominus miseri ab hæreti-  
 cis

cis Ministellis, qui cunctos animo fractos suis hortationibus erigebant, decepti denuo fortiter novam sustinebant irruptionem, quam Castreus exeunte Mense Julio fecerat, quin eos vi superare possent.

§. LXXX.

*Pax a Rege Calvinistis indulta.*

Præterea Rupellensium repugnantia Sacri-cæsarensium pertinaciam augebat; isti enim pariter sese summa fortitudine tuebantur, eosque pertinax illud consilium, quo omnes deditiois conditiones respuebant, abs dubio ad extremam calamitatem redegit, nisi tandem Rex per Andegavensis Ducis electionem in Poloniæ Regem factam ad pacem hisce rebellibus concedendam impulsus fuisset.

*Thuan. l. c.  
Dupleix  
hist de  
France t. 3.  
pag. 802.*

§. LXXXI.

*Pax Regis edicto confirmata.*

Hujus concordiaë articulis die sexta Julii firmatis Bironius quarto post die urbem ingressus ibidem hanc pacem promulgari jussit, quam pariter Rex eodem Mense confirmavit, divulgato hanc in rem edicto, vi cujus hæc sanciebantur. I. Motuum, qui a die vigesima secunda Augusti anni prioris fuerunt suscitati, oblivio sanciat. II.

*Thuan.  
pag. 941.*

I 2

Ca-